

*nistis obscurum. Verbum caro factum, nobis est clarum, at Arrianis, Nestorianis, Eutychianis, & Apollinaristis obscurum erat. Atque adeò quamvis uni Scriptura videatur $\delta\gamma\mu\alpha\tau\iota\zeta\epsilon\iota\upsilon$, Deum esse incorporeum: quàm plurimi tamen alii in contrariam per eandem Scripturam, adducentur sententiam: nec præterea textus, quem allegat, aliquid probat: nam stupidi illi atque bardi, qui sibi Deum corporeum imaginantur, excipient, Mosen, cùm ait, *Caute, nam non animadvertistis similitudinem, &c.* nihil aliud voluisse, quàm nullum esse corpus, cui Deus possit comparari aut assimilari. Sed verò largiamur aliquid in S. Literis clarè atque perspicuè exprimi. An igitur, si $\delta\gamma\mu\alpha\tau\iota\zeta\epsilon\iota\upsilon$ assererent, *nihil esse aliquid, vel aliquid esse nihil*, etiam propriè, & ut sonarent, essent intelligendæ, quantumvis etiam nostræ rationi adverterentur? Sanè*

————— Credat Judæus Apella

Non ego,

neque ullus sanæ mentis, ne quidem ipse. Cogetur enim, cùm Scriptura sibi ipsi videtur contradicere, fateri, ratione uti licere, ut dignosci possit, quænam loca propriè, quænam impropriè sint, & figuratè intelligenda atque interpretanda. Qualia sunt, *Deum non duci pænitentia.* Num. 23: 23. 1 Sam. 15: 29. &c. & *eundem pænituisse, quod hominem fecerat.* Gen. 6: 6. & *istius mali, quod facturum dixerat populo suo* Exod. 32: 14. Et alia id genus quàm plurima passim obvia. Unde neminem tam inconsiderantem fore existimo, qui istò effugiò allatæ adversus supradictas Regulas difficultati mederi velit, cùm nihil in S. Literis, & præsertim Novò Testamentò apertius, & Christo familiarius, quàm Parabolis, & Tropicis loquendi modis docere: quemadmodum id expressè testatur Evangelista Marcus, cap. 4. vers. 33. & 34. his verbis. *Talibus multis parabolis loquebatur (scilicet Jesus) eis sermonem, prout poterant audire. Absque parabola verò non loquebatur eis.* Quocirca illi tollendæ alia medicamina accersenda applicandaque erunt. Verum quidem est, quando in ipsò S. Literarum contextu explicandò, adversariorumque interpretamentis examinandis versantur Theologi Reformati Philosophiam (ut suprà notavimus) eum in finem in subsidium vocare, ex eâque principia lumine naturæ cognita, demonstratasque conclusiones mutuare: quibus suam ambigui loci expositionem corroborarent atque confirmarent. At, quando in locorum Communium tractatione de Scripturæ interprete sententia proferenda est, unanimi consensu munus id Philosophiæ derogant, ac Scripturæ arrogant, ore negantes, quod opere fatentur, nec animadvertentes, quot quantisque, ut jam vidimus, hoc dogma prematur difficultatibus, & quàm infirmis ac ficalneis, ut jam videbimus, astruatur argumentis.

C A P. XII.